GRATVLATIO-NES AMICORVM AD IOH. ESYCH. BREM.

AD IOHAN. IAC. GRYNÆVM THEOL. CLARISS.

In medium dum tu, præclare Grynæe, Luporum
Tranquillo è Sophiæ trudis ouem gremio:
Carminibus mulcent, & onus gratantur Amici,
Quod longè humano est celsius ingenio:
Sic tuba magnanimo sonitu ciet arma, uirosq́;
Sæpius imbelles fortia ad arma uocat.
Sed sequor hoc animo maiori, quod, duce Christo,
Dia per infirma est organa uis ualida.

IOHAN. ESYCH. BREM.

---

1. Tim. 3. 7.
Oportet autem etiam eum bonum habere testimonium ab extraneis.

BASILEAE, TYPIS OPORINIANIS.
M. D. LXXXIX.

ORDO THEOLOGORUM IN INCLYTA ACADEMIA BASILIENSI, PIIS LECTORIBUS

τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν.



QVVM tam firma, dulcis & frugifera sit Sanctorum communio, ut ea caritatis officiis, quotiescunque sese occasio offert, nobis comprobanda & declaranda sit: decet, enimverò, Ecclesias ex præscripto verbi Dei reformatas, & eis in fide Christi conjunctas Academias: reverentiam & benevolentiam suam erga alias Ecclesias & Scholas, quas sua illa veritate sanctificavit Dominus, & erga illarum orthodoxos Pastores & Doctores, officiosè, constanter & sincerè testari.

Est autem & hoc tempore, in clarissima Saxoniæ urbe BREMA (quam Cl. Ptolemæus Alexandr. φαβίρανον, in catalogo climatis septentrionalis Germaniæ urbium, lib. 2. Geographiæ, vocat) Ecclesia & Schola Deo cara, in qua fide & ministerio V. Cl. D. CHRISTOPHORI PEZELII, orthodoxæ Theologiæ Doctoris, & opt. Collegarum ejus, vexillum veritatis in sublime attollere, omnipotenti & veraci D. nostro IESU CHRISTO placuit. Ac in ea, patriciis majoribus, natus est IOHANNES ESYCHIUS, parenti, Senatori amplissimo ὁμώνυμος, cognitione linguarum Latinæ, Græcæ & Ebraicæ: Theologiæ item sinceræ professione: eximiis denique virtutibus & donis Spiritus sancti, ita instructus: ut etiam illustribus in Civili & Literaria Repub. viris notus & carus: & in Ecclesijs, quæ fatentur IESUM CHRISTUM in carnem venisse, percelebris sit.

Iudicavimus itaque nostri esse officii, eidem D. ESYCHIO εὐσχημόνως petenti publicum Doctoræ in sacra Theologia testimonium (posteaquam is legibus nostris iam plenè satisfecit) quod felix & faustum Doctorum ille unicus doctor IESUS CHRISTUS esse velit, illud in Panegyre Academiæ, νομίμως conferre, tum, ut non solùm testemur nos ei gratulari successus præclaros in Theologiæ theoria & praxi, sed etiam ejus exemplo in theatrum ritè producto, aliis calcar addamus: tum, ut singularem nostrum amorem erga Ecclesiam & Gymnasium urbis Bremensis, ac fratres nostros carissimos, qui in utroque piè docent (ξυμπαραστάτην eorundem, ut nobis persuademus, paulo pòst futurum, ornando) eadem opera profiteamur.

Quum autem inaugurationi huic, & renunciationi solenni publici Testimonii, dictus sit dies XII. Augusti, in Diribitorio Academiæ nostræ, ad Theologicum Actum invitamus amanter omnium Ordinum Doctores

& Pro-

& Profeſſores, literatam Nobilitatem, & totam ſtudioſam Iuventutem, Academiæ florem: ac petimus, ut pro Chriſtiana ſua τῇ καλοκαγαθίᾳ, animis linguisque faveant: & unà nobiſcum vota ad Deum faciant, ut is & hujus noſtri Candidati, & omnium noſtrûm vitæ & ſtudiis ubertim benedicat: deniq;, ut pro officio iſto noſtro Ordini præſtito, noſtrum ἀντιπελάργησιν & mutua benevolentiæ officia, ſibi polliceantur.

DISSERETVR AVTEM

De Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ continuatione.

PERAGENTVR HAEC

Rectore Academ. Mag. D. SAMVELE GRYNAEO I. C.

Decano Ord. Theol. D.D. IOHAN. BRANDMYLLERO:

Promotore IOHANNE IACOBO GRYNAEO.

Gregorius Rom.

Sæpè doctori Dominus uerbum pro gratia tribuit auditoris: nonnunquam uerò propter auditoris culpam ſubtrahitur ſermo doctori.

N. V. ET IC.

HIPPOLYTI A COLLIBVS,

ARCHIGRAM. REIPVB.

BASIL.

IANE, fovent Charites quem blandæ, cantor Apollo,
Docta Minerua, ſinu:
Quem pietas, ſtudiumq; boni, & ratio optima vitæ,
Ingenium eximium,
Excellunt, dantq; alta virûm volitare per ora
Carmine dulciloquo:
Ergóne promeritos, PATRES, *decernere honores*
Iam tibi, conſtituunt?
Sic fertur. Clarij parcant mihi lumina cœtus,
Splendor honorq; togæ.
Gloria erit meritis, (mecum nunc Fata ſuſurrant)
Quælibet ampla, minor.

N. V.

VOLRADI A' PLESSEN, PRAEFECTI COM. NASS. ET SOLM.

SI virtuti ea vis est, vel ipso
Vt iucunda sit atq; grata in hoste:
Quantò impensiùs ergo tum placebit,
In caris ubi fulget illa amicis?
Si virtus quoq; nos amare cogit
Illos, quos neq; contigit videre,
Et quos flumina magna, quos & Alpes,
Quos ipse Oceanus procul remôrunt:
Quantò ergo magis hos amare fas est,
Nobiscum quibus una mensa, potus
Communis, cibus, & lares fuerunt?
Non mirum est igitur, tui si amore
Me captum fatear quoq; esse, Iane
Esychi. Ingenium tuum, tuæq;
Musæ, queîs Charites quoq; addidisti,
Magni olim tibi Lipsii favorem,
Et nuper peperêre Bezæ amorem
Maximi tibi. Linquo sponte multos,
Atq; ista amplificare nolo: ne, quæ
Sunt verissima, fortè cui videri
Possim dicere more blandientûm,
Queîs hæc nostra redundat undiq; ætas.
Non ignota tibi medulla Iuris
Est Civilis, & obtinere in illo
Summum difficile haud gradum fuisset.
Naturæ quoq; nosse vim secretam,
Rerum quærere & invenire causas,
Cura, Iane, tibi fuit, suæq;

Cubum

Cubum includere circulumq́; formæ.
Sed non hîc animus tuus quievit:
Laborem supeſſe digniorem
Putâſti. Ergo libros ſacros, ſupremi
Quîs nobis pateſit Dei voluntas,
Et qui ſunt medicina vera mentis,
Nocturna pariter manu, & diurna
Trivisti. Neq; tam pio labori
Deest merces ſua: debito te honore
Ornat, & titulo optimus Grynæus,
Grynæus, ſatius puto eſſe cuius
In charta hac tenui ſilere laudes:
Et (dicam ut numero) cui bono ipſi
Lucem conciliare velle ſoli?
Te ergo terq́; quaterq́;, Iane, dico
Beatum, Eſychiumq́; re voco ipſa.
Nam dum nos alij, obruti tenebris,
Nugas difficiles habemus, atq;
Humi repimus, in luto ſepulti:
Tu cor erigis ad Deum, atq; certus
Terrena omnia ſomnium eſſe, & umbram,
Iam cœlestia ſola mente volvis.

PETRI NEVELETI DOSCHII IC. CL.

ET regere imperio populos, & reddere iura,
Iuſtitiæ antiſtes HESYCHIUS potuit.
Ille tamen ſancto, divini oracula iuris,
Conſilio, humanis prætulit inſidijs.
Verum igitur, vulgus damnans erroris, honorem
Ambit, iter veram & munit ad ἡσυχίαν.

Sic Diomedeas ad seria transtulit arteis,
Nec stupidum Glauci prætulit ingenium:
Frivola sic vitreosq; orbeis Hispanus & auro
Mutat, & Eois callidus exuvijs.

VALENTINI THILONIS LIGII.

NON mihi LIPSIADES *Musæ, non enthea* DUZÆ
Pectora, non Cygni voce MELISSUS *adest:*
Me tamen ESYCHIO *sacra lux in carmina raptat,*
Et propera invitis exprimit orsa lyris:
Tam placidæ mentis probitas, tam candida virtus,
Tam ingenii & genii vivida dona movent.
A teneris agili tu mentis acumine gestas
Prævia comparibus lumina, JANE, *tuis;*
Quantum non reliquas, cæli spatiata per orbes,
Anteit ex Phœbi lumine Luna faces.
Jam tum nempe dabas specimen virtutis, & altæ
Indolis invictâ spe documenta puer.
Scilicet haut unquam Virtus tabescit inerti
Sorde, vel indocilis fallere teste caret.
Nec veró augurium, nec degener omina lusit
Exitus: Ingenio vincis, & astra rapis.
Astra rapis cursu aerio per sancta SIONIS
Culmina, JESSEIS *culmina nexa jugis.*
Concentu MUSÆ *applaudunt, plectrísque sonoris*
Ad numeros pleno numine, JANE, *canunt.*
Innuba se sociam posita gerit ægide PALLAS,
Et Clarios geminat casside cassa sonos.
Hinc SOPHIE *Ausoniæ & Grajis dea dia sub oris*
Jungit honorato se pede nixa pedo.

Fatidi-

Fatidicámque THEMIN secum trahit ęmula PITHO,
Castáque nectareo pectora melle rigat.
VIRGO'que sidereis frontem radiata figuris,
Balsama lacteolo spargit odora sinu.
Felix, JANE, animo; tibi tot famulantur ovantes,
Et dextras agitant in tua dona deę.
Hęc apium intexit casię, hęc nova lilia, miscet
Ramis illa tuis hinc, amaranthe, rosas.
Hęc, tua Pierio mulcens labra fonte, canoros
Dictitat arguto pectine, JANE, modos.
Ista vices rerum varias cavsásque latentes
Eruit, & terras pandit & astra tibi.
Hęc docet ingenio priscis certare disertis,
Sive tuis Thesev, sive Qvirine tuis.
Illa hominum artificem, rerum mundíque parentem,
Illa polum, illa solum, te docet illa salum.
Illa, qvid Hebręis arcani involvitur umbris,
Explicat, & Sancto te docet ore loqvi.
Felix, JANE, animo! tu nunc meditaris Olympum,
Et geris ęterni mystica sacra DEI.
Ille DEI Mystes nectit tibi serta GRYNęUS,
Arte bonus, vitâ rectus, & ore pius:
Qvi, velut ad liqvidi rutilantes ętheris ignes
Lucifer Oceani pulcrior exit aqvis,
Emicat ex illis, qvos cura operosa per aras
Versat; & ad CHRISTI qvi sacra signa vocant.
Hęc cape, JANE, comis tibi debita serta merenti,
Qvę veget ęthereo nectare floris odor.
Adspice, se MUSIS gratantibus innuba PALLAS,
Et SOPHIE & PITHO jungit & alma THEMIS:
Qvas inter decus Aonidum, NASSOVIA proles,
Excipit illustri jubila lęta sinu.

Jam

Jamqvoque RELLIGIO *feßis petit ęthera palmis,*
Et sibi jam certam pallida spondet opem:
Concita dum furiunt paßim ęqvora fluctibus; Avster
Hinc ruit, hinc tumidis Africus urget aqvis:
Sęvit hiems, frendent freta turbine, transtráqve strident,
Vela notis cedunt, saxáqve cymba legit.
Nunc Latia ęoliam meretrix omnem excutit: Evros
Gens Itala, & sęvos ructat Ibera Notos:
Gallia fert Cavrum in partes discissa ruentem,
Et qvatit oppressam cęde cruenta ratem.
Huc age, JANE, *animum, & motos circumspice fluctus;*
Scande ratem, & pelagi remige frange minas:
Avt rutilum CHRISTI *succende á lumine lumen,*
Quod placidum ad portum navfraga vela vocet.
Avt si qvos Aqvilo furians excußit, ab undis
Erige, ne mersos devoret ira maris.
Avt, qvę monstra natant qvadris immania larvis,
Avt ea, qvę pennę cuspide corda secant;
Opprime magno animo, JANE, *& majjoribus avsis*
Confice, ut insanis fluctibus havsta ruant.
Sic tibi sidereis surgent nova serta viretis;
Sertáqve fluxa, rosâ perpete serta dabunt.

FINIS.